Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cogitare. Si enim putamus hoc solum esse quod visibiliter in demonstratione
cernitur, numquam veritatis participes efficimur. Discernamus ergo signum a veri-
tate, et sciamus aliud esse quod foris sensui erudiendo apponitur, aliud autem
quod intus animo beatificando reservatur. Ideo autem dicere oportet ad qualem
veritatem ascendere debeamus ab his figurationum visibilium formis,
ne nos etiam sicut multi estimemus haec omnia quae per signa caelestium in
scripturis figurate proponuntur ita esse illic quemadmodum hic mystice
figurantur in similitudinibus et formis et figuris ad corporalia tantum et sen-
sibilia pertinentibus, quae in divina et spiritualia omnino non cadunt. Hoc est enim
quod sequitur. Ut non et nos eodem modo multas et inmunde estimemus caelestes
et deiformes animos multa pedes esse quosdam et multorum vultuum et ad
boum pecudalitatem aut ad leonum bestialem imaginationem formatos, et ad
aquilarum curvo rostro speciem, aut ad volatilium tripartitam alarum commotio-
nem effiguratos, et rotas quasdam igneas super caelum imaginemur, et thronos
materiales divinitati ad recubitum necessarios, et equos quosdam mul-
ticolores et armiferos archistrategos, et quaecumque alia ex eloquiis no-
bis sacre et formabiliter in varietate manifestativorum symbolorum tradita sunt.
Ut ergo non estimemus etiam nos eodem modo multas, id est quemadmodum multi estimant
caelestes et deiformes animos, id est invisibiles spiritus et incorporeos et dei non
corporum similitudinem ac formam habentes multa pedes esse, quemadmodum
videlicet figurantur in eloquio sacro sub figuris et formis animalium
describuntur, ut in Ezechiele et in Ysaia et Zacharia et Michea et aliis prophetis
angelici spiritus per animalia figurantur quadrupedia et volatilia et cetera ad
hunc modum. Et ne estimemus etiam quosdam illorum spirituum multorum vultuum esse,
id est multos vultus sive facies habere, ut in Ezechiele scriptum est de
animalibus sanctis. IIII. facies uni erant. Quod licet ad sanctos evangelistas vel
apostolos vel quoslibet iustos congrue referatur, tamen etiam de sanctis angelis in-
carnationem verbi et passionem et resurrectionem et ascensionem annuntian-
tibus et in his omnibus verbum incarnatum ministerii famulatu prose-
quentibus non inconvenienter accipitur. Sequitur. Et ad boum pecudalitatem.
Subaudiendum est et ne estimemus quosdam formatos ad boum pecudalita-
tem, id est ad similitudinem formam boum quae pecudalis est non angelica. Sic